

enim particulae nullius precii animatae sint, cur totum et maximum excellentissimam animam non habeat?

Quomodo autem animam nos ab universo habere possemus, nisi universum animatum esset? At habemus ab eo animam docente Aristotele primo De partibus capite 1:³⁷ *Videtur enim sicuti in artificialibus est ars; ita in ipsis rebus aliud quoddam principium et causa talis, quam habemus, sicuti calidum et frigidum ex universo quare magis consentaneum est coelum factum esse a tali causa si factum est, et esse propter talem causam magis quam animalia mortalia.*

Qualis autem haec causa sit libro De mundo [330] capite 4. declarat:³⁸ *Dicitur vero et aliter spiritus, ea quae in plantis ac animalibus, et per omnia penetrans animata et foecunda substantia, de qua dicere nunc non est necessarium. Et capite 5:³⁹ Terram omnem et mare aetheraque et solem et lunam et universum coelum exornavit una, quae per omnia penetrat, potentia. Et non multo post:⁴⁰ Ex hoc omnia respirant et animam obtinent animalia. Animae autem nostrae pars quaedam natura est dicente id ipsum Aristotele:⁴¹ Neque enim omnis anima natura, sed quaedam particula ipsius una vel plures.*

Itaque rationes ὁμοειδεῖς, eiusdem speciei ut gradatim ascendamus, sunt in semine, sunt in calore seminis, sunt in spiritu, sunt in natura, sunt in anima omnia penetrante, a qua ψυχὴν

³⁷ Φαίνεται γὰρ, ὥσπερ ἐν τοῖς τεχναστοῖς ἐστὶν ἡ τέχνη, οὕτως ἐν αὐτοῖς τοῖς πράγμασιν ἄλλη τις ἀρχὴ καὶ αἰτία τοιαύτη, ἣν ἔχομεν καθάπερ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐκ τοῦ παντός. διὸ μᾶλλον εἰκὸς τὸν οὐρανὸν γεγενῆσθαι ὑπὸ τοιαύτης αἰτίας, εἰ γέγονε, καὶ εἶναι διὰ τοιαύτην αἰτίαν μᾶλλον, ἢ τὰ ζῶα τὰ θνητά. [ARIST. P A 641b.12 – 18]

³⁸ λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα, ἢ ἐν φυτοῖς τε καὶ ζῴοις καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία, περὶ ἧς λέγειν νῦν οὐκ ἀναγκαῖον. [ARIST. Mu. 394b.9 – 12]

³⁹ γῆν τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, αἰθέρα τε καὶ ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν διεκόσμησε μία, ἢ διὰ πάντων διήκουσα δύναμις. [ARIST. Mu. 396b.27 – 29]

⁴⁰ ἐκ τούτου πάντα ἐμπνεῖ [ἐκπνεῖ] τε καὶ ψυχὴν ἴσχει τὰ ζῶα. [ARIST. Mu. 397a.18 – 19]

⁴¹ οὐδὲ γὰρ πᾶσα ψυχὴ φύσις, ἀλλὰ τι μῶριον αὐτῆς ἐν, ἢ καὶ πλείω. [ARIST. P A 641b.9 – 10]